



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolutiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Ad Illvstrissimos Ac Reverendissimos S. R. E. Praelatos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

AD ILLVSTRISSIMOS
AC REVERENDISSIMOS
S. R. E. PRAELATOS.



*Non à semetipso, Verùm di-vino illo afflatus Spiritu,
quo Rege ab emulo spiritum propulsabat malum, Psal-
tes, Pastor, Miles, Vates Regius, heroico vaticinatus
carmine, cecinit illud: Dies diei eructat verbum, &
nox nocti indicat scientiam, quod & commentatus
est, qui Regum libris addidit Paralipomenon, Esdram, Neemiam, no-
vum Veteri additum testamento, ipsa Veritate docente, Non veni
solvere legem, sed adimplere, & Vas illud electionis, Adimpleo
ea quæ defunt Passionis Christi. Hinc Octavus ille Bonifacius
Romanus summus Pontifex sextum Decretalibus Gregorij noni, hinc
Clemens VI. Clementinas, hinc diuersi Romani summi Pontifices va-
rias di-versasq; juxta rerum temporumq; vicissitudinem, congluti-
narunt Extra-vagantes. Hinc potissimum traditiones, doctrinae, con-
suetudines, in hac vera, antiquissima, ac perpetuata præ cæteris, vel
temporaliter Christiana Republica duratura schemate militari ad ex-
tremum usque formidandi diem Iudicij, di-vino id asse-verante Ver-
bo ipso incarnato, Ecce ego vobiscum sum usque ad sæculi con-
summationem, & portura in æternitatem triumphali beatitudi-
ne, ævo sempiterno, eadem ineffabili Sapientia prædicante, & ibunt
hi in vitam æternam: non relinquam testes meos domesticos, more
solus,*

solito, Chrysostomum, & ceteros in 2. ad Thessalonicenses, Epiphani-
 heresi 55. & 61. August. de fide Christi. lib. 2. contra Faustum, & ad Ia-
 nuarium, epist. 118. Origen. in epist. ad Rom. lib. 5. c. 6. Gratian. dist. 11.
 Gaspar. lib. 2. ad ver. heres. ar. 5. Roffens. contra Luther. verit. 10. Pi-
 ghium li. 1. Hierar. Eccl. c. 2. Euseb. lib. 10. c. 18. Histor. Eccles. Nicephor.
 lib. 5. c. 16. ac ceteros, brevitatis ergo relictos hisce orthodoxe fidei an-
 tesignanis, quanta sit vis trium illorum ostenditur: ad quid? haud
 secus, quam ad confirmandam tuendamque Davidicam hanc senten-
 tiam, celitus emanatam, alteramque non dissimilem, Ordinatione
 tua perseverat dies, quod & Canonistas non latuit, cap. non debet,
 de consang. & affinit. Procul hinc abeste prophani, novorum dogma-
 tura inventores, spectra, portenta, ac inferorum monstra, quorum
 jure optimo nomina, in omnibus scriptis nostris continentur, ne dum
 per labra hominum volutantur, oblique mundanam, quam optant
 inanem gloriam, mortalemque immortalitatem adipiscantur, velut
 etiam apostata insanus ille, non Augustus, sed Augustus inter Deos
 mortuus petiuit referri, qui inter vivos impurus mortuus habeba-
 tur, Nazianzeno acclamante, assentiatur, quidquid lubet, suus pesti-
 mus colliga sophista Libanius, tametsi Chrysostomi Doctor, sed ille
 pius Patriarcha colligebat aurum de stercore Ennij. Ea propter mi-
 rum proculdubio minime censeretur, si ad Praxim nostram Episco-
 palem, quodammodo rudem, quondam praelis datam, impraesentia-
 rum quodammodo perpolitam, auctamque non modicum, hanc adjece-
 rimus additionem. In prima namque editione nimia compulsi celeri-
 tate, quod erat nostri officij, minus efficere potuimus, hoc in secunda
 ejusdem impressione prestavimus, in majus nostrum studium pollice-
 mur, etsi currenti calamo, typographica festinatione, testis nobis sit
 ille, qui omnium scrutator est cordium. Vos interdum, Reverendissi-
 mi, rerum de quibus agitur practicabilium, ac succinctarum potius,

quam

quàm verborum prolixiorum amatores, his interdum fruimini,
cùmque inter legendum aliquod mendum impeggeritis, quo inoffenso
pertranseat pede, errata ac prætermissa, potiùs ad sensum, quàm li-
teram rogamus, animadvertatis. Valete, &c.



APPROBATIO.

IOannes Claudius Deuille, in sacra Theologia Magister, &
divini verbi prædicator, in sancti Pauli huiusce Civitatis Ca-
nonicus, & in hac Lugdunensi Diœcesi à Domino Dionysio
Simone de Marquemont Illustrissimo & Reverendissimo
Archiepiscopo Librorum Censor designatus: fidem facimus,
nos librum inscriptum *Praxis Episcopalis* R. D. Thomæ Zerolæ
Episcopo Minorensi Authore, pervidisse, & in eo omnia juxta cen-
suram Magistri sacri Palatii Apostolici correctâ & composita
invenisse. Lugduni apud sanctum Paulum 11. Kal. Iunias 1615.

Joannes Claudius Deuille.

R. D. D. THOMÆ DE MESCHATIN LA FAYE,
hujus libri imprimendi facultas.

THomas de Meschatin la Faye, Comes, Canonicus & Camera-
rius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepi-
scopatu Lugdunensi: Opus, quod inscribitur, *Praxis Episcopalis* R.
D. Thomæ Zerolæ, Episcopo Minorensi Auctore, ut in lucem e-
datur, facultatem concedo. Lugduni 1. Junij, 1615.

Meschatin la Faye.

* 3

INDEX